

Fabri, Felix: Evagatorium in Terrae Sanctae, ..., ed. v. C.D. Hassler, Bd. 2, 1843,
enthaltend fol. 183A–291B von Bd. 1 des Autographs (19 555-1) und fol. 2a–74a von
Bd. 2 des Autographs (19 555-2)

zu Bild Nr.

0743

0741

0747

0737

0752

0732

0792

0692

0842

0642

0242

Ende

Anfang

170

manus Christianorum deveniat, et Jerusalem diutius captiva
non stabit.

In eadem regione est civitas, dicta Ariopolis, quae et Petra
vel Petraea dicitur, quae fuit olim metropolis totius Arabiae. Non
longe ab hac civitate est alia civitas munitissima, dicta Rabath.
Ante hanc civitatem occubuit Urias Ethaeus, procurante David.
Et cum jam capienda esset, venit David et cepit illam, tu-
litque diadema de capite Melchon, regis Rabath, in quo erant
gemmae pretiosae et auri talentum, quod conflavit David, et
fecit ex eo sibi diadema, in medio gemmarum statuens sardo-
nicem incomparabilem, et imposuit capiti suo. De his habetur
2. Reg. II. et 1. Parat. 20. Post regiones praedictas super
littus maris mortui est desertum Idumeae, per quod est tra-
nsitus a terra Israel ad terram Moab et Ammon, circumeundo
mare mortuum, et est solitudo sterilis et inaquosa, in quo
periclitati sunt propter aquae defectum tres reges cum exer-
citibus suis, quibus Dominus miraculose providit de aqua, ut
habetur **4. Reg. 3.** Et habita aqua cum in terram Moab
venissent, eam nimis crudeliter vastaverunt, ut ibidem dicitur.
Ab his locis visum reduximus sursum, et intra Jordanem et
mare mortuum vidimus locum, dictum Bethagla, in quo filii
Israel fecerunt planctum magnum super corpus Jacob patri-
archae, defuncti patris sui, quod de Aegypto transtulerant, ut
illud sepelirent in Ebron, in spelunca duplice, ut dicitur Genes.
ultimo. Bethaglam nominat Jeronymus de distantias locorum
Areaat, distatque una leuca a Jordane, et fuit ibi, parum ante
nostra tempora, monasterium Cologerorum, monachorum grae-
corum. Insuper vidimus in eadem regione civitatem Agrippae,
quam nominant Pellam, L. II. Eccles. Hist. c. IIII. Ad hanc
civitatem emigravit ecclesia sancta a Jerusalem, praemonita
a Spiritu sancto capere fugam ante Titi et Vespasiani obsidi-
onem, ne interesset tantis calamitatibus. Prope ibidem est trans
Jordanem alia Bethania, ubi Johannes primum baptizavit, in
qua morabatur Dominus Jesus, a Judaea fugiens, ut habetur
Joh. IV. Nonnulli affirmant, quod Ephraim civitas, in quam
etiam transfugit Dominus cum discipulis suis, ut habetur Joh.
XI., sita sit trans Jordanem prope desertum. Communiter enim
passi tribulationes transfugerunt ultra Jordanem de Judaea, ut

